

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4809

**Auteur(s) :** Guillaume le Praier [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Jean Boterel, du Vaudreuil [clerc]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1244, janvier

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume le Praier vend à Jean Boterel 4 sous de rente, à Vauvrai.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CXXX, p. 129-130.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus, presentibus et futuris, quod ego Guillelmus le Praier. de Gavreio, vendidi et concessi, et omnino dereliqui, Johanni dicto Boterel, clerico, de Valle Rodolii, quatuor solidos monete currentis in Normannia, annui redditus, de quibus isdem Johannes debebat michi duos solidos annuatim ad festum Sancti Michaelis, pro duabus foreriis pratorum, quas de me tenebat, sitas inter aquam de Mort Eure et prata domini regis. Thomas le Praier, frater meus, duos solidos annuatim ad festum Sancti Johannis Baptiste, pro quadam pecia prati, sita inter boterias prati Johannis Tabernarii et pratorum Marescalli de longo vie de la Croce, et quadam pecia terre sita in montibus de Gavreio, inter terram Petri majoris et terram Gaufridi Malet : tenendos et habendos et jure hereditario in perpetuum possidendos et eciem percipiendos sibi et heredibus suis de me et Thoma, fratre meo, et heredibus nostris, bene et pacifice, libere et quiete, annuatim ad dictos terminos, et ad omnem voluntatem suam, tanquam de propria hereditate sua faciendam, sine aliqua mei et dicti Thome, fratris mei, et heredum nostrorum, reclamazione, salvo tamen jure dominico. Licebit autem dicto Johanni et ejusdem heredibus supra dictam peciam prati et terre omnem suam justiciam facere plenariam, quousque de dictis duobus solidis quos dictus Thomas debet, se pro pagatos teneant, si necesse fuerit, et emenda. Et, pro hac venditione et concessione, dedit michi dictus Johannes decem et octo solidos turonensium, de quibus me teneo pro pagatum. Et ego predictus Guillelmus et heredes mei, a quacumque parte sint et veniant predicto Johanni et suis heredibus, omnem predictum redditum contra omnes et in omnibus curiis, ad usus et consuetudines Normannie, tenemur deffendere et garantizare, vel alibi, si opus affuerit, in propria hereditate nostra ad valorem excambiare. Quod ut ratum et stabile permaneat, presentem kartam sigilli mei munimine roboravi.

Actum anno Domini M° CC° XL° III°, mense januario.

Testibus hiis : Thoma le Praier ; Rogero le Praier ; Thoma de Celier ; Gaufrido le Barbier ; Willelmo Liece ; Simone Lespec ; Nicholao Lemonnier ; Radulfo, fratre suo, et pluribus aliis.